



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 95. Et princeps Sacerdotum ait illi. v. 63.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

illa iniqua & impura mendacia, blasphemias & falsitates, quas in ipsum congeriebant ob honorem patris benigne patienterque tolerauit, nec se excusare voluit, quando quidem omnia mundi peccata in se acceperat, & quia cum iniquis crucifigi voluit, hinc etiam ut iniquus iudicari volebat, eo quod ex amore ingenti hominum salutem, & paternum potare calicem ardentissime sitiebat cum euidenter voluntatem patris sentiret, ad quem venire secundum humanitatem suam non poterat, nisi per passionis iter.

Domine Iesu cur taces? cum falso accusaris: cum provocaris, ut respondeas: Tui gratia, ô homo, ut meo discas exemplo tacere ad calumniantium & falsorum testium voces, quando irrita est defensio, vel ex defensionis verbo grauiora mala oborientur vel tuæ personæ vel ordini, vel Ecclesiæ. Item, non te excusare in manifestis malis, ut & pati discas, & humiliari, videns filium Dei innocentem tacere, non se excusare, humiliatum ob peccata tua, non erumpere in querelas, murmuraciones, in impatientiam, quasi nolens ferre crucem à Deo impositam.

Scindant verba hæc cor tuum, ô anima mea, statuasque magis in hoc sæculo cum Christo tacere benè, quam malè loqui: crucem quam tibi immitit, ut feras pro omni illa, quam ei peccatis tuis imposuisti, iniuria & contemptu; lubens volensque tolerare, ut veniam merearis erratis tuis.

§. 95. *Et princeps Sacerdotum ait illi: v. 63.*

Quanto Iesus magis tacebat ad indignos responsione sua, falsos dico testes, & Sacerdotes, impiosque iudices, tanto magis Pontifex furore superatus eum ad respondendum prouocat ut ex qualibet occasione sermonis locum inueniat accusandi, & hoc animo eundem incipit quasi hominum contemptorem per supremum saltem Dominum compellere, ad dicendum verum, adiurando. Prò sic mali sumus, qui creaturæ Rationales esse deberemus, ut siamus sæpe præ inuidia & ira irrationabiliores & tanto nequiores, quanto ratio ipsa plus adiumenti ad nequitiam præbere valet. Nam ecce summus Sacerdos, cum semel se affectibus suis permisit, etiam innocentem in tua humilitate & innocentia liberum & quietum esse nõ sinit, sed tentando, vexando, illudendo, blasphemando, adiurando cogit ad verba & facta, ex quibus capiat ansam ad eum accusandum, calumniandum, neci tradendum. Malum sane & pessimum malum velle proximum inducere ad peccatum eum diuexando, iniuriis, blasphemijs, maledictionibus, detractionibus: quæ insania? Atque utinam non sæpe huius sceleris cum Caipha rei sumus!

Domine

Domine Iesu procul hæc cogitatio à me facessat, ut velim inducere matulm super proximum quouis modo, sed hanc gratiam mihi Deus addat ut ad omne bonum proximum alliciam, prædicando, exhortando, suadendo, splendorem virtutum & præmia ostendendo, ut laudetur semper Deus Deorum in Sion.

§. 96. *Adiuro te per Deum vivum ut nobis edicas, si tu es Christus filius Dei. v. 63.*

Caipham permouit ad hanc adiurationem & quæstionem. 1. obfirmatum Christi silentium utpote, ex quo nullam poterat sumere occasionem condemnandi Christum. 2. insufficientia testimoniorum, quæ allata erant, unde ipsemet suo ingenio & arte Actor fieri incipit, quæstionem proponit, quâ infallibiliter eum capiat vel respondentem vel tacentem, nam si adiuratus per Deum vivum non loquatur, in Deum est contumax cui deferre nolit; si loquatur & dicat non sum F. Dei, habet Caiphas intentum, nempe negantem quod alias asseruerat; si dicat ita: blasphemiam reus erit: proponit igitur num sit Christus filius Dei vivi. Hic enim omnis odij fons in Christum quod pauper & plebeius cum æstimaretur, pro Messia tamen, quem illi opulentum & potentem expectabant: nec non pro filio Dei se confiteretur. Quid ad hæc dicēs; ò Christe? si asseras te esse Christum, reum te læsæ Maiestatis dicent, tum ex parte Cæsaris quem solum agnoscunt Regem, tum ex parte Messiam quem adhuc venturum expectant: si insuper Dei filium, blasphemum te clamabunt, ponentem plures Deos. Negas? in promptu testes aderunt quibus conuincaris quod pro Christo gesseris te & Dei filium dixeris. Vndique insidiæ.

Domine, absit à me obsecro omni tempore, ut velim ob quamcumque causam adiurare proximum, maxime ad circumueniendum eum. Cum non deceat, ut qui vult secundum Euangelium viuere, adiuret alterum: sed nec ad iuramentum, nisi graui de causa Iudicibus probata, præstandum: Quod si res ita postulet, ut ad rei magni momenti cognoscendam veritatem, aut auertendum malum, iuramento sit opus, jurem verum, necessarium, & reuerenter; & si alios adiurem id præstem juxta Ecclesiæ sanctæ Dei præscripta, ad gloriam Dei & bonum publicum, ut minister Ecclesiæ.

§. 97. *Dixit illi Iesus: tu dixisti. v. 64.*

Ecce nunc respondet Iesus, sed mirabili loquendi forma plena sapientia, plena virtute: prætendit Pontifex scire an ipse corâ stans esset Christus filius Dei